



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronicon Montis-Sereni Sive Lavterbergense

Mader, Joachim Johann

Helmeſtadi, 1665

Fvndatio Monasterii Cellae Pavlinae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11088

Thuringiæ, Comites fundaverunt de **Kassenberg**, anno Domini MCXLII. Horum Comitum stirps prorsus aruit & desit.

Anno Domini MCLXIII. fundatum est monasterium monialium nostri ordinis prope *Erphordiam*, per Generosos Comites de **Grunpeche**: Cœnobium **Jchterhusen** dicitur.

FVNDATIO MONASTERII
CELLÆ PAVLINÆ.

PAuliaa nobilissima & devotissima femina, imo & vitæ sanctimonia præclarissima, quæ etiam angelo nuncian- te concepta legitur. Hæc in omni virtutum flore & Dei amore proficiens, ter in vita personaliter *Romam* petiit, & Apostolorum limina devotissime adiit, visitavitque: ibique à summo Pontifice *Paschali* confirmationem monasterii sui *Cellæ Paulinæ*, quod in *Thuringiæ* saltu fundaverat, impetravit, Bulla papalis, quam vide, data est anno Domini MCXIII, VII. Kal. Septembris. Indictione octava.

ANNO, Archiepiscopus III. Colonienfis, qui claru- it anno Domini MLVI. ille Canonicos expulit & eiecit ex Ecclesia SALFELDENSIS & in eam locavit & introduxit Ordinis *D. Benedicti* monachos, integritate vitæ ac regulari disciplina probatissimos. Ego omnino anceps sum de *Anno* illo tertio, cum *Anno* secundus fuerit in humanis tempo- ribus *Henrici III.* & *Henrici IV.* Sit qualitercunque, *Anno* dictus est ille Archiepiscopus qui in *Salfeld* monachos loca- vit certissime, ut liquet ex imagine ipsius, quæ saxea, in summo marmorea, & vetusto schemate sculpta, & in san- ctuario parieti infixæ, &c. super quam nomen *Annonis* scri- ptum visitur.

DE

FVNDATIO S. PETRI IN
ERPHVRDIA.

E Gratia Sanctæ & individuæ Trinitatis Ego *Dagobertus* Francorum Rex notum facio, tam clero quam populo, tam Christianis quam paganis, quod urbem nostram **Mervigesburg** / quæ nobis hæreditario jure ab ipso avo nostro *Mervvigo*, fundatore videlicet ejusdem urbis in *Thuringia* ob venerat, S. *Petro* & suis Monachis Deo inibi servientibus, à quo & ipse mons post foundationem monasterii, quod in honoré præfati Apostoli construxi, vocabulū sumfit, deleto pagánico prius nomine avi nostri, S. *Petri* mons vocatus, cum omnibus servitiis suis post finē meam possidendā regali potentia dedimus. Quali autem id Dei ordinatione factum sit, indicabimus. Fuit in præfata urbe juxta Ecclesiam S. *Basilii* martyr is homo Dei nomine *Adeodatus*, rogatu meo à Mogontino Episcopo *Rigiberto* inclusus. Qui inclusus ob periculum animæ nolens uti communionem clericorum uxoribus & armis utentibus, sæpe me rogavit, ut de aliquo meo monachum clauastro à quo divinum officium & verbum veræ fidei audiret, & communionem sacri mysterii perciperet, sibi evocarem. Hujus ego ob intimam familiaritatem petitioni annuens, misi ad monasterium monachorum, quod simili modo construxi in **Selsenburge** / & venerabilem seniorem monachum nomine *Truckindum* inde evocans præfato *Adeodato* incluso doctorem & rectorem direxi. Qui eo perveniens, cœpit paulatim ex ejus doctrina, & suasionē inclusi numerus credentium multiplicari, tum conversione paganorum ad baptismum, tum clericorum & laicorum ad monachicum habitum. Hoc ego cernens & divinum in hoc favorem intelligens, tradidi sæpe dictam urbem meam cum

M m

omni.

omnibus sibi pertinentibus, *S. Petro* & suis monachis, ibidem monasticam religionem statuendam & Abbatiam meo auxilio faciendam. Dedi præterea *S. Petro* & suis monachis ad usus diversos silvam, quam ab numero ferarum cervorum **Hirsbralis** vocant, à meridiana plaga urbis versus orientem, usque ad terminos regionis **Orlaw**, quam regionem *Pipino* Palatino Comiti in beneficium tradidi. Dedi nihilominus ad supradictum cœnobium villas à Sclavis in eadem silva factas, scilicet **Tunecdorpsff** **Tugebrachrestet** / **Tuttelstet** / **Neukenrod** / **Hochdorpsff** / & alias plures, & aquam *Geram* ad captum piscium monachis, à meridiana parte urbis usque ad terminum curiæ ministerialis mei *Gisboti*. Dedi etiam de curia mea ad usus fratrum *C.* modios tritici, *C.* ordeï, & totidem avenæ, & cætera omnia mea in *Thuringia*. Ad hunc mihi dilectum locum continentium dedi ministeriales meos, cum omni eorum sobole & possessione, quorum hæc sunt nomina, *Gisbotum*, *Gilbertum*, *Eckehardum*, *VVolfholdum*, **Hisen** / **Egenen** / **Wolgisur** / *Omarum*, *Sigibertum*, *Theodbertum*, *Theodoricum*, *Adelbotum*, *Adelgolfum*, *Gelfcatum*, *Infridum*, *Hunzelinum*, *Gunterinum*, & cæteros omnes famulos meos & famulas in *Thuringia*. Ut hæc traditio Domino meo Iesu æternaliter firma maneat, literis nostris stabiliri fecimus, & banno *Rigiberti* Episcopi Mogontini confirmari rogavimus, & annulo nostro colligavimus, & sigillo nostro adhibito complevimus. Acta *Mogontia*, Kalendis Martii, in præsentia *Rigiberti* Episcopi. Signum invictissimi Regis *Dagoberti* Francorum.

Testes omnium harum causarum sunt hi: *Pipinus* Major domus, & filius ejus *Karolus*, Mogontinus Episcopus *Rigibertus*, *Gunterinus* paganus Comes, *Ekebi* Comes, & omnis Ecclesia in *Thuringia* & circa *Renum* in *Mogontia*. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis dccvi. Indictione ix.

S.BLA.

5. BLASII monasterium erectum est à *Reginberto* Barone de *Feldenberen*, tempore *Ottonis* III. Anno Domini *MXLVI*. & fuerunt solum *Heremita*: sed per mineralia ditati erexerunt Abbatiam. Abbas *Georgius*, qui modo præest, in numero Abbatum est *vice*simus sextus.

Monasterium S. TRVTPERTI in *Brisogia* fundatur per *Otpertum* Comitem de *Habsburg* & Landgravium *Alsacia* tempore *Gregorii* Magni, anno videlicet *Dominicæ* natiuitatis *DCVIII*.

Monasterium OTTENBVREN à *Svevo* Duce fundatur *Tutone* Canonico *Viennensi*, cuius pater *Sylachus* dictus est; anno Domini *DCCLXIII*.

Coenobium S. PETRI in NIGRA SILVA fundatur à *Berchtoldo* secundo Duce *Zaringia*, Anno Domini *MXIII*. & habuit ibi sepulturam communem, demto *Berchtoldo* III, constructore civitatis *Friburgensis*, qui jacet in domo Capituli: qui fuit vir prudens & bellicosissimus.

Coenobium DE VINEIS, i. e. *Weingarten*, in monte S. *Martini* fundatur per *Guelphonem* tertium, Comitem in *Aldorff* & Ducem *Noricorum*; & monachi, qui prius fuerunt ab *Altenmönster* tralati ad *Aldorff*, sunt ad montem S. *Martini* translati.

ALPERSPACH monasterium fundatur anno Domini *MCLV*. à tribus Comitibus, de *Zolen*, *Sules*, & *Husen*; quorum primus ordinem monasticum ingressus, Abbasque primus factus, & dictus *Albertus* inde & à quo dictum & vocitatum est monasterium *Albertispachium*.

Monasterium MORBACH fundavit Dux *Eberhardus* anno Domini *ccccxxxi*. Accepit autem monachos ex *Augia* majori.

Monasterium CÆSARIENSE, id est, *Kaysersheim*, fundatur ab *Henrico* Comite in *Lechsmind*; anno Domini *mcxxxiii*. Nunc præest Abbas *Conradus*, in numero Abbatum

rum vicesimus quartus. Sepulturam habent in isto cœnobio Domini de *Selffenstein / Hiffen / Graispach /* & Marscalci de *Bappenheim; Keissheim* nuncupatur, non *Perg.*

Cœnobium TRVTENHVSEN Canoniorum Regularium de observantia, in diœcesi Argentinensi, situm in pede montis *S. Ortilie*, reformatum, ut dixi, de capitulo *VVindemensi*; fundatum est à veneranda *Herranda* Abbatissa *Hoënburgensis* Ecclesiæ, montis videlicet *S. Ortilie*, anno Domini MCLXXXI. Monasterium certe admodum insigne & amœnissimum, in quo cum Dei cultu & regulari disciplina maxima viget hospitalitas & humanitas.

REBDÖRF monasterium Canoniorum etiam regularium de observantia unione & capitulo *VVindemensi*, fundavit *Fridericus I.* cognomento *Barbarossa* Anno Domini MC...

Monasterium *S. GEORGII* in *Nigra silva* fundatur à Comite *Herzelone* in allodio proprio, ubi tandem monachus factus fuit. Erat autem prius Advocatus in *Augia* majori, A.D. MLXXXVIII.

Cœnobium *Zwifalten*, quod communiter Latine AD DVPLICES AQUAS appellatur, instituitur per Abbatem *Hirsaugiensem* *VVilhelmum*, virum sanctum, anno Dominicæ nativitatis MXCI.

PETRI DOMVS, vulgo *Peterhusen*, prope *Constantiam* fundat *S. Gebhardus* Episcopus *Constantiensis*, natus Comes *Brigantius*, Anno Domini DCCCCLXXX.

EBERBACH fundatur anno Domini MCXXVI.

LORCH fundatur per *Fridericum* Seniore[m] Ducem *Sueviæ*.

KEMPTEN monasterium fundavit *Hildegart* illustris femina, in quo & tumulata quiescit. Primus Abbas *S. Andegarius*

frater *Kelandi* fuit. Hæc vera sunt omnino & solida.

Anno Domini MEXXXIII. *Djopoldus* Marchio **Vorburg** dedit monachis Cisterciensis Ordinis in **Waldsachsen** aream, in qua constructum est monasterium eorum, & de silva, quantum ipsi fratres per unum diem poterant in circuitu perlustrare. Vnde ipse est fundator eorum. Hocce monasterium tempore belli Bojoarici furens edaxque flamma voravit, eo videlicet tempore funesto, quo & **Lympurg** igne arsit. Nunc reparatur.

Anno Domini MCLVI. *Ludovicus* Dux Bojoariæ, Comesque Palatinus Dominam *Mariam* conjugem suam, sororem Ducis Brabantiae, in **Werd** Sueviæ decollari fecit. Miserat equidem ipsa binas literas, unas Duci, qui tunc in partibus Rheni erat, alteras *Henrico* Comiti Hirsuto; quæ ex errore marito præsentatæ fuerant. Pro emenda vero conjugis occisæ, Abbatia in **Furstenfeld** ab eo construitur & fundatur.

Adelbertus filius sororis *Henrici*, primi hujus vocabuli regis, patris *Otonis Magni*, matrem habebat *Babam* nomine, à qua *Babenberg* castellum ejus nominatum est. Hinc dictus est *Albertus* ille, vir fortis & strenuus, Comes *Babenbergensis*. Fundator extitit monasterii *Tharis*, nostri ordinis in diocesi Herbipolensi, ubi & sepultus quiescit. Hunc *Adelbertum* proditorie blandis verbis eductum & seductum *Hatto* Episcopus Moguntinensis in manus Imperatoris *Ludovici* dedit, qui & ipsum *Albertum* decollari fecit. Ego de illo Imperatore à certo nomine dubito mirorque: nam ratio temporis aliquem *Ludovicum* Imperatorem tum fuisse, non admittit. Scripsi quemadmodum reperi in exemplari.

Monasterium Ordinis fratrum Cisterciensis, quod **Torgenthal** / ie. *Vallis Georgii* nuncupatur, prope nemus

Thuringiæ, Comites fundaverunt de **Kassernberg**, anno Domini MCLII. Horum Comitum stirps prorsus aruit & desit.

Anno Domini MCLXIII. fundatum est monasterium monialium nostri ordinis prope *Erphordiam*, per Generosos Comites de **Grunpeche**: Cœnobium **Jchterhusen** dicitur.

FVNDATIO MONASTERII
CELLÆ PAVLINÆ.

PAuliaa nobilissima & devotissima femina, imo & vitæ sanctimonia præclarissima, quæ etiam angelo nuncian- te concepta legitur. Hæc in omni virtutum flore & Dei amore proficiens, ter in vita personaliter *Romam* petiit, & Apostolorum limina devotissime adiit, visitavitque: ibique à summo Pontifice *Paschali* confirmationem monasterii sui *Cellæ Paulinæ*, quod in *Thuringiæ* saltu fundaverat, impetravit, Bulla papalis, quam vide, data est anno Domini MCLXIII, VII. Kal. Septembris. Indictione octava.

ANNO, Archiepiscopus III. Colonienfis, qui claru- it anno Domini MLVI. ille Canonicos expulit & eiecit ex Ecclesia SALFELDENSIS & in eam locavit & introduxit Ordinis *D. Benedicti* monachos, integritate vitæ ac regulari disciplina probatissimos. Ego omnino anceps sum de *Anno* illo tertio, cum *Anno* secundus fuerit in humanis tempo- ribus *Henrici III.* & *Henrici IV.* Sit qualitercunque, *Anno* dictus est ille Archiepiscopus qui in *Salfeld* monachos loca- vit certissime, ut liquet ex imagine ipsius, quæ saxea, in summo marmorea, & vetusto schemate sculpta, & in san- ctuario parieti infixæ, &c. super quam nomen *Annonis* scri- ptum visitur.

DE